



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Quo fine amplectendus est status Religiosus. Cap. XX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

lus falorum, religioſa diſciplinæ iugum excu-
tientiũ imperſeuerantiã, illorum verò in tot
iniquis criminationibus & perfectionibus in-
uictã patientiã, & amore inimicorum : Deo cor-
meum mutante, huic Ieſu Societati libenter ad-
haſi anno 17. ætatis. In quã Societate iam 55. an-
nis expletis, meliũ eam agnoſco, & magis ac
magis indes lætor, me ſancto huic Inſtituto
nomen dediſſe : eò conſtantiũ, quò intimiũ
intueor, ingentes virtutum & Dei gratiarum
theſaurus, illi diuinitũ communicatos, & per-
petuò cœlitus effluentes ac in magnam diuinã
gloriã propagationem, & bonum multiplex
aliorum ſcaturientes, non tantũ eximiam eo-
rum ſanctimoniam & omnimodã ſacrã & pro-
fanã doctriñe proficuos, ſed etiam cum magnis
erga S. Eccleſiam & Rempub. Chriſtianam vbi-
que gentium meritis, coniunctos : & quidem
nullis humanis aut politiciis artificijs, & affecta-
tis oſtentationibus, ac ſimulatã pietatis ſpecie,
coloratos : verũ primæuo Apoſtolicò ſpiri-
tu, & ſincero procedendi modo ſplendentes.

CAPVT VIGESIMVM.

Quo ſine amplectendus ſit Status
Religioſus.

261. **N**on eſt ſatis, vt qui vocatur à Deo ad ſtatum
religioſum, eum quomodocunq; ample-
ctatur, ſed omnino neceſſarium eſt, vt id bonã
intentione, hoc eſt, propter bonum finem fa-
ciat. Magni intereſt, inquit S. Auguſtinus, cum ali-
quid boni facimus, cuius rei contemplatione faciamus:
officium quippe noſtrum non inuiti, ſed ſine penſandum
eſt, vt ſcilicet, non tantum ſi bonum eſt, ſed præcipue ſi
bonum eſt id, propter quod facimus, cogitemus. Finis
ergo propter quem aliquis vult renuntiare ſe-
culo, & Religionem ingredi, debet eſſe bonus.
Bonus autem erit, ſi erit conformis alicui ex il-
lis finiſibus, ob quos à Deo ſunt inſtituti in S. Ec-
cleſia varij Religioſorum Ordines.

Porro duplices ſunt fines, ob quos ſunt à
Deo inſtituti Ordines Religioſorum, alij com-
munes omnibus, alij proprii cuiuſque Ordinis.
262. **Primus finis** communis omnibus Religioſis
Ordinibus eſt, vt in ſtatu Religioſo, eum ample-
plexus, certa euadat pericula ſalutis, quæ ſecum
adfert ſtatus ſecularis. Cum enim, vt ait Spiri-
tus S. Totus mundus in maligno poſitus ſit : Et idem
alio in loco præmonuerit ; Nolite diligere mun-
dum, neque ea quæ in mundo ſunt: Si quis diligit mun-
dum, non eſt charitas Patris in eo, quoniam omne quod
eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcen-
tia oculorum, & ſuperbia vitæ. Et cum per Apoſto-
lum dicat idem Spiritus S. Qui volunt diuites fieri
incidunt in temptationem, & in laqueum diaboli, & de-
ſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines
in interitum & perditionem; radix enim omnium ma-
lorum eſt cupiditas. Vt enim radix, inquit S. Tho-

mas, ſoti trunco ſuccum, vitamq; largitur, ſic per diui-
tias homo acquirit facultatem perpetrandi quocun-
que peccatum. Per diuitias enim Diabolus, tanquã
per retia & laqueos, capit homines, & captos oc-
cidit. Hinc benè ſcripſit S. Paulinus : *Tota hu-*
ius mundi figura, quæ præterit, & per oculos corda pro-
leſtat, diabolicis prætexta retibus, in qualibet ſui ſpecie
laqueus mentis & gladius eſt. Et cum etiam ipſe
Chriſtus D. dixerit, & quidem illi, qui erat in
ſtatu ſalutis, adoleſcenti diuiti caſto, *quoniam*
omnia mandata Dei, cuſtodiuit à iuuentute ſua: ſi vis
perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus,
& veni, ſequere me : & cum is id nollet exequi,
Chriſtus adiunxit: *Amen, Amen dico vobis, quia*
diues difficile intrabit in Regnum cœlorum, & facilis
eſt camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem
intrare in Regnum Cœlorum : cum inquam, tam
periculoſus ſit ſtatus ſecularis, in quo nullus
manet, qui nollet eſſe diues, meritò qui volunt
euadere pericula ſalutis, ſtatum ſecularem (vt
ſiant Religioſi) deſerunt, in quo paucos ſaluari
ſuprà oſtenſum eſt c. 2. n. 12. & 13.

263. **Secundus finis** omnium Religioſorum Ordi-
num communis eſt, vt non tantum ſint ſine pe-
riculo ſalutis, ſed ſecuri de ſua ſalute, & vitã æ-
ternã conſequendã in ſtatu Religioſo, ſi in eo
iuxta eius leges vixerint, quas (ſublatis impedi-
mentis & ocaſionibus ac periculis peccato-
rum, quibus in ſtatu ſeculari viuendo, carere
non poſſunt) facile in ſtatu Religioſo ſeruare
poſſunt, tam multis Diuinis auxilijs freti, ſuprà
commemoratis, c. 5. 6. n. 43. & ſeqq. & 70. & ſeq.

Habent enim Religioſi Æternæ Veritatis
claram aſſecurationem, non per viſiones & re-
uelationes personales, quæ multis illuſionibus
ſunt obnoxie, ſed in ſacro Euangelio bis inſcri-
ptam Deo ipſo reuelante, qui Euangelia dcta-
uit: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel ſo-*
rores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios,
aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, &
vitam æternam poſſidebit. Quid clariũ, quid ſecu-
riũ? *Impoſſibile eſt mentiri Deum,* inquit S. Chry-
ſoſtomus, *promiſit autem ille vitam æternam iſta re-*
linquentibus. Reliquiſti tu omnia iſta & abieciſti, quid
igitur prohibet de huiusmodi conſidere promiſſione &
eſſe ſecurum?

264. **Tertius finis** Religioſorum Ordinum commu-
nis eſt, vt ſatisfaciant Deo pro peccatis in ſeculo
commiſſis, Nam, vt docet S. Thomas 2. 2. q.
189. a. 3. ad 3. *Si aliquibus elemoſynis factis, homo po-*
teſt ſtatim ſatisfacere pro peccatis ſuis, ſecundum illud
Dan. 4. Peccata tua elemoſynis redime, multò magis
in ſatisfactione pro omnibus peccatis ſufficit, quod ali-
quis ſe totaliter Diuinis obſequijs mancipet, per reli-
gionis ingreſſum : quæ excedit omne genus ſatisfactio-
nis, etiam publica penitentia : vt habetur in Decretis,
trigeſimã tertiam, quaſtione ſecunda, canone, Admone-
re. ſiue enim peccata mortalia in ſeculari ſtatu
commiſſa ſint, ſiue ſola venialia, ad ſatisfaciend-
um pro vtriuſque ſtatu Religioſus eſt vtilior
longè,

longè, quàm secularis, vt supra ostendi cap. 3. num. 21. Quia, vt supra ostensum, Religiosi per sua vota consequuntur remissionem omnium poenarum peccatis debeat, ac si essent baptizati, qui post Baptismum nullà indigent satisfactione pro peccatis ante Baptismum commissis. Verùm peccata mortalia in seculo commissa cogunt tales seculares, vt omnino relicto seculo fiant Religiosi. Repetam grauissimam sententiam S. Greg. Papæ supra à me allatam: *Sciendum est, quia quis illi iura nulla commisit, huic iure conceditur, vt licitè utatur: sicq; pietatis opera faciat, vt tamen si voluerit, ea quæ mundi sunt, non relinquat. At, si quis in fornicationis culpam, vel fortasse, quod est grauius, in adulterium lapsus est, tantò à se licita debet abscindere, quantum se meminit & illicita perpetrasse.*

hom. 10. in Euang.

S. Th. 2. 2. q. 154. a. 11.

Cùm verò ex Theologorum sententia, maius sit peccatum mollicitæ, seu pollutionis voluntariæ, quàm fornicationis & adulterij (quia est contra naturam) & eùm manentes in seculo valdè pauci sint ab hoc peccato liberi, idèd qui solo hoc peccato sunt coinquinati, iudicio S. Gregorij, debent, vt satisfaciant pro illo solo, statum secularem relinquere, & Religiosum amplecti. Nam hac occasione S. Gregorius id pronuntiauit, vt ostenderet, quomodo satisfaciendum esset pro peccatis commissis, & quale remedium pro hac re dederit S. Ioannes Baptista turbis ab eo baptismum petentibus; quæ volebant fugere à ventura ira Dei, & scire cupiebant, quid faciendum esset, vt satisfaceret pro peccatis commissis, & possent effugere venturam iram Dei: *Facite, inquit, fructus dignos penitentia.* Difficile enim valdè est satisfacere pro peccatis commissis in hac mala viuendi ratione secularium. Idèd dixit S. Ambrosius: *Facilius inueni qui innocentiam seruauerunt, quàm qui condignam penitentiam egerint.* Idèd fortasse S. Petrus Apostolus scripsit terribilem sententiam: *Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* Vt ergo qui in seculo Deum grauitè offenderunt, in Religione pro peccatis commissis satisfaciant, ei se deuouent perfectiùs quàm in seculo, volentes exequi id quod Apostolus commendauit similibus: *sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.*

Luc. 3. 7. 9.

I. de vnica poen. c. 10. 1. Pet. 4. 18.

Rom. 6. 19.

Quod si quis in seculo nulla commisisset peccata mortalia, sed sola venialia; (quod valdè raram est) etiam pro solis venialibus vt satisfaciant, status Religiosus est aptior, quàm secularis, tum propter ea quæ dixi cap. 3. num. 21. tum quia legimus vitos & feminas sanctas renuntiasse seculo, & statum Religiosum elegisse, vt in eo satisfacerent Deo pro solis venialibus peccatis in seculo commissis. Præclarum est huius rei exemplum in magno Sancto & Dei seruo S. Petro Martyre Ordinis Prædicatorum, qui nullum in seculo commisit peccatum mortale; ta-

men S. Dominici ordinem ingressus est, vt exigua seculi peccata in eo expiaret. S. Bernardus quoque, vt supra retuli, innocentissimus fuit, & tamen de se scripsit ad Papam Honorium, sic incipiens suam Epistolam: *Degentes in Monasterio, ad quæ nos nostrâ peccata compulerunt.* Sic S. Catharina Senensis; sic S. Terefia, sic B. Maria Magdalena de Pazzis, nullo mortali factâ peccato, statui se Religioso deuouerunt, vt pro solis venialibus Deo satisfacerent in illo. Sic noster B. Aloysius perpetuò conseruatâ Virginitate candidissimus, & nullo mortali scelere totâ vitâ maculatus. (teste iurato eius Confessario Cardinali Bellarmino) Societatem nostram (incredibilibus perituptis difficultatibus & impedimentis, quæ eius patens Marchio Castilionis obtrudebat per annos aliquot) ingressus est; vt satisfaceret Deo pro solis peccatis venialibus. Quocirca post mortè eius inuentum est quoddam scriptum, quo ostenditur, quàm acriter in Societate in seipsum debuerit per penitentias etiam externas lauire, propter Deum à se ignominiam affectum, etsi pauculis aded venialibus peccatis Deum etiam in seculo manens & postea in Societate offenderit, vt eius Confessarius P. Ferdinandus Paternio in iis annis quibus B. Aloysij, tunc in Curia Regis Hispaniarum inter eius ephobos magentis, confessiones excipiebat, testatus sit eo mortuo, se sæpenumerò non inuenisse in eius confessionibus materiam absolutionis: P. Hieronymus Platus audita Confessione sex mensium à B. Aloysio coram se factâ de peccatis in Societate commissis, scripto testatus sit, se in eâ ne vnum quidem veniale peccatum deprehendisse. Et tamen tam innocens & purus adolescens, qui totâ vitâ suâ nec tentationem carnis, nec impuram cogitationem passus est, aded, & in seculo & in Societate disciplinâ ad sanguinem, & aliis penitentis carnem suam virginèam excruciauit, Deo satisfacere volens pro peccatis, vt mirum fuerit non citiùs illum obiisse. Agnoscebant enim Sancti facilitatem & grauitatem peccati venialis. Nam, vt Saluanus ait, & S. Hieronymus Epist. 14. ad Celantiam. *Nihil leue estimatum, quo Deus ladirur & contemnitur.* Hinc Deus Pater ipsi S. Catharina Senensi dixit dial. c. 3. *Omnes poena, quas anima sustinet, vel sustinere potest in presenti seculo, nullo modo condigne sunt, ad culpam etiam minimam puniendam.* (hoc est, expiandam.) *Quoniam offensa, quæ mihi sit, qui sum Bonum infinitum, proculdubio exigit satisfactionem infinitam:* Idèd Sancti isti elegerunt statum Religiosum, quia, vt docet S. Thomas, est status perfecta penitentia, ita, vt nulla satisfactio ad adequatè post penitentiam Religiosorum, qui se & sua totaliter Deo dant. Vnde pro nullo peccato imponi potest homini pro penitentia, vt religionem introeat, & in commutationem satisfactiois quantumcunq; grauis. Sic S. Th. quodl. 3. a. 13. Meritò ergo SS. Patres aiunt statum religiosorum esse, statum crucifixorum.

c. 1. nu. 2. epist. 49.

l. 2. vitæ. cap. 5.

lib. 1. vitæ. cap. 7.

l. 6. de prouid.

S. Thom. quodl. 3. a. 13. & 2. 2. q. 189. a. 3. ad 3. Opus. coarctim. pug. relig. cap. 1. S. Eph. 10. 2. paren. 1. S. Chryl. hom. 69. in Marti. S. Bas. ep. 63. ad cle. Neoc. & cõst. mon. cap. 21.

Quar-

164. Aug. l. 17. c. 4. & in Pl. 12. & ep. 19. q. 11. Hier. ep. 70. cont. Vigil. Chryst. in Heb. & h. 17. in Marth. & h. 4. cont. v. 17. v. 17. Epiph. S. 6. cont. Phyl. 266. Enl. cal. h. 1. de dem. 11. cap. 8. Orig. h. 9. de 17. 11. a. q. 11. a. 4. ad 1. & q. 18. a. 4. q. 18. a. 4. 6. ad 1. Alu. Pe. log. de pl. 1. Eccl. 11. cap. 19. Jua. 11. 3. de Rel. 1. a. n. 9. 167. Leo S. 1. de Relu. Dion. eccl. hier. p. 1. c. 6. h. l. Reg. breui. 17. Ch. l. de compar. Reg. & monachi. Th. 2. 1. q. 11. a. 4. S. & q. 18. a. 1. & a. c. 6. n. 70. & seq. de modo bene viu. 1. 20. Mar. 10. 21. Marth. 130. a. 1.

Quartus finis Religioforum Ordinum communis est, vt Christo D. & Apostolis eius similem modum viuendi teneant, seruando Christi D. consilia præcipua & perfectiora. Christus enim in perpetua paupertate, castitate, & obedientia vixit, & tam multa passus est; Apostoli quoque eius votis Religiofis erant obstricti, vt docent SS. Patres & magni nominis Theologi. Monet autem omnes Deus per Apostolum, vt Christum Dominum, & eum imitemur, 1. Cor. 11. 1. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Quâ de re palestrè S. Leo Papa dixit: *Christi humilitas nulli assernanda diuinitus, nulli est erubescenda nobilitas. Hæc enim in tantum proeui potest qualibet felicitas humana fastidium, vt æstimet sibi pudendum, quod Deus in forma serui, non est arbitratus indignum.*

Quintus finis Religioforum communis est, vt in Religione sanctius perfectiusque Deum colendo & amando, plura & maiora merita acquirant, & post mortem, maiorem gloriam in cælo. Quod in seculari statu æquè benè acquirere non possunt, tum propter multos laqueos & occasiones peccati, quæ sunt in seculo, & propter difficultatem salutis quæ est in eo, à Christo supra clarè indicatam, tum quia non habent ea auxilia externa & interna, quæ habet status Religiofus, qui meritò (quod nullus secularis status, solo Episcopali excepto, habet) status perfectionis est, & appellatur à SS. Patribus & Theologis. Ideo in eo & plura & maiora merita acquiruntur, & maior in cælis gloria, vt supra ostendi. Quocirca S. Bernardus scribens ad sororem ait: *Moneo te, vt in monasterio cunctis diebus vite tue perseueres: & vt secularem vitam nunquam desideres. Quare: quia in monasterio est vita contemplatiua, in seculo est vita laboriosa: in monasterio est vita sancta, in seculo est vita criminosa: in monasterio est vita spiritalis, in seculo est vita carnalis: in monasterio est vita celestis, in seculo est vita terrena litigiosa: in monasterio est vita tranquilla: in seculo est vita contentiosa: in monasterio est vita pacifica, in seculo est vita iurgis plena: in monasterio est vita casta, in seculo est vita luxuriosa: in monasterio est vita perfecta, in seculo est vita vitiosa: in monasterio est vita plena virtutibus, in seculo est vita plena vitiiis: in monasterio est vita sanctitatis, in seculo est vita iniquitatis.*

Ideo Christus Dominus volens à seculo abstrahere adolescentem diuitem, qui omnia Dei mandata seruauerat à pueritia, intutus eum, & diligens eum, vt ait S. Marcus, dixit: *Vnum tibi deest, si vs perfectus esse, vade, & quacunque habes vende, & da pauperibus, & veni, sequere me, & habebis thesaurum in cælis: nimirum maiorem gloriam, quam habiturus esset in seculari statu, sola Dei mandata seruando. Quæ proculdubio seruasset benè etiam postea in adultâ ætate, si seruauit ea à iuuentute luâ, in quâ frequentius ea violantur, quam in aliis ætatibus, vt docet experien-*

tia. Et ideò Christus Dominus ei proposuit non qualemcunque gloriam, (quam iam promeritus erat, custodiendo Dei mandata) sed thesaurum in cælis, si ipsum relictis rebus omnibus seculi, sequeretur. *Vt enim eum Christus ad hoc alliceret, inquit S. Chrysostomus, ingentem ei futuram mercedem ostendit.* Qui enim propter Deum relinquit omnia, & seipsum ei totum tradit, vt faciunt Religiofi, meretur ingentem thesaurum in cælo, promissum etiam à Christo aliàs: *Quâ mensurâ mensi fueritis, eadem remetietur vobis, etsi dictum ab eo ad aliud propositum, sed seruit ad omnia, quæ facimus vel patimur propter Deum. Sanè meretur Diuina Maiestas, a deo (vt ita dicam) de nobis tot titulis benè, imò optimè, merita, vt sicut in seculari statu manentes inter duo bona & commoda, quærunt & eligunt melius eorum iudicio & commodius, tam in diuitiis, quam in honoribus & officiis in Republica speciosis & vtilibus; ita etiam eligant ea, quæ Deo sunt magis accepta, & ipsi, tum in hac vitâ, tum per totam æternitatem futura meliora & commodiora, quoad sanctimoniam vitæ in terris, & quoad gloriam maximam in cælis. Idcirco qui secundum Deum sapiunt, eligunt statum Religiofum, per quem hoc affectu possunt facilius & securius, quam per secularem. Quocirca Apostoli, vt ipsi erant Religiofi, & in statu perfectionis, per S. Clementem Romanum hoc suaserunt vnique: *Omne, quod optimum sit, Domino facito. Non potest autem in seculari statu existens, maius bonum Deo offerre, quam dum offert sua omnia extra se, & totum seipsum: quod fit per vota Religiosa, & fugam seculi. Nam benè ait S. Gregorius Papa: Cùm aliquis omne quod habet, omne quod viuunt, omne quod sapit, Omnipotenti Deo vouit, holocaustum est. Plus ei dare non potest.**

Sextus finis, communis omnium Ordinum Religioforum, est, vt in statu Religiofo sanctè & perfectè viuendo ad mortem, perfectius impleant Christi Domini doctrinam, (quàm impleatur in seculo) non semel traditam turbae, non solis Apostolis: *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse Discipulus. Et, Qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest esse meus discipulus. Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Qui sic renuntiant omnibus, exemplo Christi & Apostolorum, perfectissimum sacrificium offerunt Deo. Nam vt benè scripsit S. Gregorius Papa: *Sunt quidam, qui nihil sibi metipsis reseruant, sed sensum, linguam, vitam, atque substantiam, quam perceperunt, Omnipotenti Deo immolant. Quid isti nisi holocaustum offerunt, imò magis holocaustum sumunt? Sed hoc, ais, Apostolica dignitatis est, & eius qui velit esse perfectus, inquit S. Hieronymus, scribens ad Iulianum**

Chrysof. h. 64. in Marth. Matt. 7. a. Const. Apost. l. 7. cap. 15. hom. 10. in Ezech. Luc. 14. 26. & seq. hom. 10. in Ezech. ep. 14. c. 2. & 3.



num diuitem ac præpotentem, & eum excitans ad renuntiandum seculo.) Cur autem & tu nolis esse perfectus? cur qui in seculo primus es, non & in Christi familia primus sis. An quia uxorem habueris? habuit & Petrus, & tamen cum reti eam, & nauiculam dereliquit. Nec est quod excuset nobilitatem & diuitiarum pondera. Respondeo eos qui non solum diuitias, sed seipfos Domino obtulerunt; qui animas suas Domino consecrarunt. Nobilis es, & illis sed in Christo nobiliores. Diues & honoratus, & illis imò ex diuitibus & honoratis pauperes & inglorij, & idcirco ditiores & magis incliti, quia pro Christo pauperes & inhonorati. Et tu quidem bene facis, quòd Sanctorum diceris vrbibus ministrare, fouere Monachos, Ecclesiam offerre quam plurima. Sed hæc rudimenta sunt militia tua. Contemnis aurum, contempserunt & multi Philosophi, è quibus vnus (ve ceteros flectam) multarum possessionum pretium proiecit in pelagus: abite, dicens, in profundum mala cupiditates, ego vos mergam, ne ipse mergat à vobis. Philosophus, gloria animal, & popularis aura vile mancipium, totam simul sarcinam deposuit: & tu te putas in virtutum culmine esse constitutum, si partem ex toto offeras? Te ipsum vult Dominus, Hostiam vnam, placentem Deo, te, inquam, non tua. Paupercula vidua duo ara minuta misit in gazophylacium, & quia totum obtulit quod habebat, omnes dicitur in oblatione munerum Dei superasse locupletes, quæ non pondere sui, sed offerentium voluntate pensantur. Vt multa erogaueris, censum tuum, & quidam tu à gaudeant liberalitate, tamen multo plures sunt, quibus nihil dediti, neque enim Darij opes, & Cresi diuitia valent explere pauperes mundi. Quòd si teipsum Domino dederis, & Apostolicâ virtute perfectus sequi caperis Saluatorem, tunc intelliges vbi fueris. & in Exercitu Christi quam extremum tenueris locum. Nolo tantum offeras ea Domino, quæ potest fur rapere, hosti inuadere, proscriptio tollere, quæ & accedere & recedere possunt, & instar vndarum & fluctuum, à succedentibus sibi Dominis occupantur, & quæ velis nolis, in morte dimissurus es; illud offer, quod tibi nullus hostis possit auferre, nullus eripere tyrannus, quod tecum pergat ad regna caelorum, & ad Paradisi delicias. Extrius monasteria, & multus à te per insulas Dalmatiae Sanctorum numerus sustentatur; sed melius faceres, si & ipse Sanctus inter Sanctos viueres. Apostoli gloriantur, quòd omnia dimiserint & secuti sint Saluatorem, & certè præter rema & nauem nihil legimus eos dimisisse: & tamen æstimonio futuri iudicis coronantur: quia se offerentes, totum dimiserunt, quod habebant. Hec loquor non in figillationem operum tuorum, vel quòd extenuem liberalitatem & elemosinas tuas, sed quòd te nolum inter seculares esse monachum, & inter monachos secularem, totumque à te expectam, cuius audio mentem Diuino cultui deditam. Difficile, imò impossibile est, vt & presentibus quis & futuris fruatur bonis; vt & hic ventrem, & ibi mentem impleat: vt de deliciis transeat ad delicias; & in vtroque seculo primus sit, & vt in celo & in terrâ appareat gloriosus. Hæc S. Hieronymus. Plura de hoc sexto fine allata sunt c. 14. §. Quartus modus. Hi sunt præcipui fines communes

n. 195. &
segg.

omnibus Religiosis Ordinibus, ob quos instituti sunt à Deo, & ob quas tam multi relicto seculo, Deo se deuotunt in statu Religioso.

Ceterum singuli Religiosi Ordines, habent suos quisque peculiare fines: Ille paupertatem, ille silentium, ille contemplationem, ille carnis mortificationem; ille verbi Diuini prædicationem; alij alios. Omnes habent sanctos fines: non quòd solis illis attendant, sed quòd peculiari studio suis propriis inuigilent finibus, eos vt allequantur; nihilominus tamen, omnem Euangelicæ perfectionis sanctitatem assequi conantur, vt pote vocati ad statum quærendæ pro vitibus & Dei gratiæ perfectionis.

Quoniam verò hoc Opusculum scribo potissimum propter eos, quos Deus ad nostram Societatem in eundam vocat, scire debent, Deum, S. P. N. Ignatio Fundatori & Patri, hunc inspirasse Societati præfigendum finem. Finit Societatis est, non solum saluti & perfectioni propriarum animarum cum Diuinâ gratiâ vacare, sed eum eadem impense, in salutem & perfectionem proximorum incumbere. Et, nostræ vocationis est, diuersa loca peragere, & vnam agere in quauis mundi plagâ, vbi magis Dei obsequium, & animarum auxilium speratur. Qui ergo à Deo vocantur ad nostrum Ordinem, sciunt quòd collimare debeant ad eum admitti. Non enim vna particula salutis & perfectionis propria: & aliena eis, eam vt allequi conentur, propofita est; sed tota cum suis omnibus partibus in totâ amplitudine suâ. Euangelica & Christi, ac Apostolorum perfectio: vt non ad vnam tantum eius partem, sed ad omnes aquè ac principaliter aspiciamus; pluris tamen estimando illas, quæ perfectioniores sunt, & nos Deo magis coniungunt, & ceteras minus perfectas, veluti condiunt, & impinguant, ac dicant studiis ac procuratione maioris Diuinæ gloriæ, & amoris in nobis & in aliis.

Et hæc motiua, ij qui vocantur ad statum Religiosum, & alia, si habent ab his diuersa, generoto corde & ore explicent eis, siue conlanguineis, siue aliis, à quibus se vident retrahi vel impediri, ne fiant Religiosi, memores illius Christi D. septentia: Qui me erubuerit & meos ser-
mone, hunc filius hominis erubescet cum venerit in
Maestrate suâ, & Patris, & S. S. Angelorum. Inter ser-
mone autem Christi Domini sunt hi, vocatis
ad statum Religiosum conuenientes. Luca 14.
26. §. Qui venit ad me, vti veniunt, qui vocantur à
Deo ad statum religiosum & volunt illum amplecti & non odit patrem suum, & matrem, & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.

CAPVT